





28f

DISPUTATIO ORDINARIA  
DE  
RERUM PERMU-  
TATIONE,

Quam  
Divina Favente Gratia

PRÆSIDE

PETRO MASCOVIO,

Jcto & Antecessore Ordinario, Juri-  
dicæ Facultatis Seniore & p. t. Decano, Regiique  
Consistorii Directore,

d. 29. Decembris 1702.

in Auditorio Majori

publicæ ventilationi

submittit.

JOHANN. WILHELM Metchel /

Sedin. Pom.



GRYPHISWALDIÆ,

Typis DANIELIS BENJAMINIS STARCKII,

Reg. Academ. Typogr.



INCLYTÆ CIVITATIS STETINENSIS  
VIRIS

MAGNIFICO, PRÆ-NOBILISSIMIS,  
AMPLISSIMIS, CONSULTISSIMIS  
ATQVE PRUDENTISSIMIS

DN. CONSILIARIO  
PROVINCIALI,

DNN. CONSULIBUS,

DN. SYNDICO,

DNN. CAMERARIIS

ATQVE

DNN. SENATORIBUS,

Patronis, Fautoribus atque Promo-  
toribus suis, omni observantiæ  
& Reverentiæ cultu prosequendis

hanc Dissertationem in sui studiorumq; suorum  
ulteriorem commendationem officiosissime  
offert & consecrat.

JOHANNES WILHELMUS Reichel/  
Sed. Pom. LL. Stud.



# Q. D. T. O. T. M. B. V.

## Thes. I.



Um permutationis materia una ex  
iis censeatur esse, quas frequens  
& celeberrimus commendat usus,  
adeo cognitu valde necessaria: :  
ideo de ea presentem instituire  
disputationem, & plenius, quæ ad  
eam spectant (ita monente Jcto  
Paulo in L. 25. ff. de liberat. legat.)  
cum quotidiana sint, attingere non abs re fore du-  
ximus. Antequam verò ad intimiora selectæ hujus  
materiæ secundum methodum, à plerisque hætenus ob-  
servatam, pedem proferimus, operæ pretium fore ex-  
istimamus, generalia quædam de Contractibus, quid  
scil. Contractus sint, & in quotuplici sint differentia  
præmittere.

## Thes. II.

Est autem Contractus (non in generali significato,  
& quatenus quemvis denotat actum, ex quo civilis  
obligatio oritur L. 20. ff. de judic. & non solum pacta  
legitima L. 17. C. de fide Instrum. sed & delicta L. 25. ff.  
de re judic. comprehendit, sed specialiter sumptus, pro  
modo obligandi ex conventionione, quæ vi propria,  
sive ob nomen, sive saltem ob causam ad producen-  
dam obligationem civilem & actionem efficacem, descen-  
dente L. 7. ff. 1. & 2. ff. de pact.) nihil aliud est, quam con-  
ventio cum causa: seu, dubio procul clarius, Con-  
ventio propria sua vi producens obligationem & actio-  
nem. Ludwell in Exerc. ad Inst. exerc. 11. th. 2. ubi in ceteris  
latè hanc descriptionem explicat.

A

Thes. III.

THES. III.

Dispersuntur autem Contractus in hoc significatu in Veros & Quasi Contractus : Veri iterum in Nominatos & Innominatos : Nominati sunt, qui certam & determinatam habent naturam atq; specificum contrahendi modum, ac propterea etiam certa & specialia acceperunt nomina, certasq; ac nominatas producunt actiones, e. g. mutuum, commodatum, depositum, emptio venditio, locatio conductio, &c. *L. 7. §. 1. ff. de Pact. Tabor in Jurispr. elem. P. 3. Sect. 4. tb. 14.* Innominati verò, qui non, ut nominati, certis cancellis sunt inclusi, nec propria ac specifica nomina acceperunt, nec certas ac nominatas actiones producunt, causam tamen & negotium civile habent *d. l. 7. §. 2. ff. de pact. Tab. d. l. tb. 15.* per causam vero (quod obiter notandum) nihil aliud hic intelligitur, quam præstatio i. e. datio seu factum, quod sub lege mutuae præstationis, conventioni accessit, prout eleganter docet Lauterb. *Disput. Tübing. Vol. 1. D. 9. de Contract. in gener. tb. 14.*

THES. IV.

Dicuntur aliàs contractus hi innominati, incerti *l. 18. ff. de acceptil. L. 1. §. debitum. ff. de constit. pecun. Boccr. Class. 2. Disput. 13. thes. 1. lit. C.* omnesque reales sunt & μονόπλευροι s. unilaterales, post Tabor. Lauterbach in *Comm. ad ff. tit. de estimatoria. §. 3. & 5.* Et dividuntur porro in duo genera: Unum est eorum, de quibus constat quidem, quod negotium civile, quod habent ad contractum aliquem nominatum referri possit, sed ad quem, dubitatur, ideoque specialiores sunt, & dicuntur vulgo irregulares, quia scil. à regulari contractu innominatorum natura recedunt & ad nomina-

tos propius accedunt. Tab. d. l. thes. 16. & quale quale  
nomen habent. Strauch. Diff. Univ. Jur. 16. th. 2. Alterum  
eorum, qui certi quidem cuiusdam nominati contra-  
ctus, instar & similitudinem quandam habent, verum  
manifestum est, quod ad eam speciem referri non pos-  
sint, ideoque generaliores vulgo & regulares appellan-  
tur, quia non tam proximè accedunt ad nominatos,  
neque talia nomina habent: Posterioris hujus generis  
species quatuor recensentur in l. 5. ff. de praej. verb. Do  
ut des, Do ut facias, Facio ut des, Facio ut facias; plures  
enim non dantur, ut benè docet Jason ad cit. l. 5. n. 3.  
ubi expresse addit, monct ipsa natura plures esse non  
posse. Prioris verò generis duo tantum reperiuntur,  
Contractus videlicet estimatorius & Permutatio. Sed  
misissis reliquis, de ultima hac specie, nim. Permutatione  
in praesentiarum tantum agere placuit.

Thes. V.

Dicitur autem permutationis vocabulum, ut in pro-  
pulo est, à permutando; Et accipitur in jure du-  
pliciter, late nimirum & strictè. Latè & generaliter si-  
sumatur, omnibus contractibus justitiæ commutativæ  
applicatur, & omnem contractum, per quem res cum  
re permutatur, comprehendit. Vid. Hahn. in Observ.  
ad Wesenb. h. t. n. 1. Pratej. in Lex. jur. verb. jur. permutatio  
Strictè verò & specialiter sumitur pro negotio inno-  
minato, seu pro eo tantum contractu, qui mutua rerum  
mutatione & translatione constat. Tabor in not. ad C. I.  
d. S. t. th. 1 & hæc acceptio est hujus loci, atque germanice  
dicitur ein Tausch Struv. in Synt. Jur. Ex. 25. D. 17.

Thes. VI.

Definitur autem Permutatio aliter atque aliter à  
DD. Quod sit contractus innominatus, quo res pro-

pria datur, ut hanc accipiens vicissim aliam reddat. Struv. d. l. seu, quod sit contractus, juris gentium, innominatus, irregularis, realis, bonæ fidei, quo res cum re, ejusdem vel diversi generis, commutatur.

THESES. VII.

Generis loco ponitur *Contractus* & quidem rectè, cuiusque enim negotio competit definitio contractus, ei & definitum, atque huic competit definitio contractus. Ergo idem confirmat §. 3. *Inst. de empt.* & si planè non esset contractus, cur Veteres putarunt esse speciem emptionis venditionis §. 2. *Inst. de empt. vend.* Errat itaque Anton. Fab. 6. *conject.* 9. qui permutationem planè non esse contractum censet, sed causam contractus. it. Bacho v. in not. ad *Wesemb.* quando propriè sic dictum contractum non esse putat, sed perperam, ut nemo non videt. Dicitur porro, permutationem esse contractum *juris gentium*. id quod patet non modo ex §. 5. *Inst. de jur. nat. gent. & civ.* sed & ex eo, quod infitiri non possit quod permutatio sit omnium contractuum primò & antiquissimò, post Heid. ad l. 5. ff. de *præs. verb.* Hillig. in *Donell. enucl. Lib. 12. C. 10. lit. A.* emendi vendendi que originem dederit l. ff. de *contrab. empt.* Sequitur innominatus quod ex l. 1. §. 2. ff. de *rer. permut. l. 4. & 6. C. eod.* atque ex iis quæ supra de innominatis contractibus jam dicta sunt, constat: Et licet haud inelegans nomen habere videatur hic noster permutationis contractus, illud tamen speciale non est, & uni contractui proprium, sed generale, ut commercii, ad cæteros ferè omnes, ubi mutua est obligatio, pertinens. Strauch. *cit. loc. tb. 4.* & quæ pulchre tradunt. Vultej. *l. R. l. 1. c. 41.* Heidecc. *supr. cit. loc. thes. 13.* Dissentiunt quidem & hic, frustra licet Fortun. Garf. ad l. 7. ff. de *pac.* item Coraf. *1. Miscell. 23.* quando



quando permutationem nominatum contractum esse  
asserere, nulli dubitant, à qua tamen sententia postea  
ipse Corasius 2. Miscell. 15. recessit. Dicitur insuper  
*Irregularis*: cur autem, ex iis, quæ supra *ib. 3.* dicta sunt,  
patet; item *realis*, quia non nuda conventionione obligatio  
hæc contrahitur, sed rei demum traditione; Requi-  
ritur enim ad hujus contractus perfectionem, ut ab  
una parte actualis præstatio s. datio interveniat *l. 1. §. 2.*  
*ff. b. t. & l. 3. C. eod.* aliàs nulla contracta dici potest per-  
mutatio. Displicet itaque non immeritò Ungepaurio  
*in Comment. ad Decret. b. t. n. 3.* Vultejj definitio permu-  
tationis, quod sit contractus innominatus *re & consensu*  
constans; Quamvis enim quivis, omnis contractus, om-  
nisque conventio in se habeat consensum *l. 1. §. 3. ff. de pact.*  
tamen contractus, qui *re* fieri dicitur, separatus omni-  
no est à Contractu, qui fit consensu *§. ult. Inst. de obligat.*  
nec ullibi contractus *realis*, dicitur consensualis seu *re*  
& consensu constans, ut hic potius illi opponatur. De-  
niq; dicitur *bonæ fidei* idque patet ex *§. 28. Inst. de Actio.*  
*ibid. DD.* Reliqua definitionis verba, quæ differentiam  
specificam concernunt, infra circa objectum formam  
& finem explicabuntur.

THESS. VIII.

Definitionem excipere solent divisiones: sed vix  
aliqua, quæ ipsam concernit permutationem in LL.  
reperitur: Et licet pactum vel stipulatio de permu-  
tando, purè vel sub conditione, item, in scriptis &  
sine scriptis fieri possit, capropter tamen ipsa permu-  
tatio alia pura, alia conditionalis, alia in scriptis, alia  
sine scriptis non fit, vel commode dici potest, & quidem  
ex ratione, quia pactum sive stipulatio illa, quæ præ-  
mittitur, non est ipsa permutatio, utpote quæ suam

A 3

demum

demum perfectionem accipit à præstatione seu datione ab uno facta, ut ex seqq. patebit: Nihilominus tamen ab objecto forsan (1) permutatio alia dici potest non pura, quando res & pecunia, seu præter rem & tantum pretii intervenit. Pura verò ubi res pro re, merces pro mercede, pecunia pro pecunia datur; non minus enim illa, quàm hæc pro vera & nuda permutatione habenda est, C. 6. X. de permut. at. Virg. Pingiz. illustr. 99. 36. n. 1. Gvid. Papæ Decis. Delphin. 92. quicquid etiam dissentiat Alciatus ad l. 2. de V. O. n. 18. quando hanc non puram, sed duplicem contractum esse statuere voluit, permutationem respectu rei, venditionem intuitu pretii, sed perperam, cum hoc naturæ contractui parum convenit quem unum etiam individuum esse, constat, ut benè docet B. Dn. Mev. Part. 3. Decis. 25. num. 6. in fin. Confer. Swendorff. in Disp. de b. materia tb. 1. in effect. (2) à subjecto, quod alia sit permutatio, quæ fit à personis publicis, Regibus, principibus, &c. & quæ fit à privatis personis, de rebus privatis. Heig. Illustr. 99. Part. 1. Qv. 19. n. 21. & seqq. P. Müller ad Struv. Ex. 25. b. 19. lit. 7.

THES. IX.

Seqvuntur jam *Causa*, & quidem *causa moralis* hujus permutationis contractus est necessitas & utilitas hominum, & illa quidem ex defectu nummorum quam maxime veniens l. 1. ff. de contr. empt. §. 2. Inst. de empt. vendit. unde & rectè dicitur, quod originem suam debeat indigeniæ humanæ, quippe quæ primum homines coëgit, cum pecuniæ usus non esset, ut secundum necessitatem temporum & rerum inutilia utilibus permutarent, conf. Huber. in jurispr. theoretic. ff. b. t. tb. 1.

THES. X.

*Causa efficiens remota est jus gentium* §. 5. Inst. de iur.

jur. nat. gent. & civ. l. 7. pr. & §. 1. ff. de pact. l. 1. §. 2. ff. de contr. empt. & Jus Civile t. t. ff. & C. b. t. Proxima est consensus contrahentium mutuus l. 1. §. 3. l. 7. §. 2. ff. de pact. l. 1. §. 2. & 4. ff. b. t. & rei datio ab una parte l. 4. & 5. C. b. t. solus consensus enim de rebus permutandis non facit permutationem ut. l. 1. §. 2. de pact. sed tantum placitum sive pactum de permutatione contrahenda, quod de jure civili non parit actionem l. 7. §. 2. ff. de pact. imo nec Jure Canonico, nec hodie seu moribus, juxta Lauterbach. in compend. ff. b. t. quod tamen, ad verba nec hodie, restrinxit Dn. Strykius in not. ibid. ad pacta preparatoria. Ex placito permutationis, nulla re secuta, constat nemini actionem competere, prout expressè dicitur in l. 3. C. b. t. Lauterbach. in Comment. ad ff. h. t. th. 3. ut potius permutatio ex re tradita initium obligationi præbeas, Carpz. 2. C. 33. def. 23. n. 4. Eckold. ad ff. b. t. §. 2. ver. hoc vero & c. ubi & ad l. 3. §. 4. ff. de condit. caus. dat. quæ dubium movere videtur, respondet.

THESE XI.

Subiectum in genere sunt omnes, qui contrahere, vendere, & alienare possunt Vcl. in parat. b. t. n. 10. qui rerum suarum sunt Domini & liberam earum administrationem habent l. 21. C. de mandat. adeoq; nec naturâ impediuntur, vel lege prohibentur: Sic naturâ impediuntur infantes, furiosi & c. I lege prohibentur prodigi, quibus bonis interdictum, pupilli, & minores absque autoritate Tutorum & consensu Curatorum. Possunt autem Tutores, Curatores ipsi, quia loco Domini esse dicuntur, in l. 26. §. ff. de admin. & per. tut. & l. 56. §. 4. ff. de furt. modo in rebus immobilibus & quæ his æquiparantur, decretum judicis interponatur l. 4. C. de præd. & al. reb. minor. Lauterb. in Compend. ff. h. t. in S.

THESE XII.

*Objectum* permutationis sunt omnes res, quæ in commercio hominum sunt & alienari non prohibentur: sive ejusdem, sive diversi generis sint, corporales sive incorporales, mobiles sive immobiles, sive sint fungibiles, sive non fungibiles: Hinc fundus l. 1. C. b. t. domus l. 5. C. eod. imò integræ Regionæ & Provinciæ, pro Provinciis & Regionibus, Heig. 2. *illust.* 99. 19. P. Müller *ad Struv. supr. cit. loc.* olcum & frumentum l. 7. C. b. t. mancipium & ancillæ l. 4. C. de dol. mal. æs, ferrum, boves, mancipia cum vino: arma cum armis, merx cum merce, item pecunia cum pecunia, Münze für Ducaten / imò & pecunia, quæ non ut pretium intercedat cum re inæstimata, l. ult. ff. de condit. caus. dat. sed ut utrinque & pretii & mercis, vicem sustineat, permutari possunt. Meyer in C. 7. A. b. t. ib. 2. Cæterum si pecunia & res, pro re permutata detur, num permutatio, an emptio sit? quæri solet; habet enim vicem emptionis quidem permutatio l. 2. C. de rer. permut. & magna inter utrumque est affinitas l. 1. ff. de contr. empt. forma licet & præstationibus multum differant l. 1. ff. b. t. & l. 1. C. eod. Optimè autem, ut solet, B. Dn. Mev. quæstionem hanc resolvit, quando ait, spectandum primò quid actum sit inter contrahentes, ubi autem hoc non certò constat, videre est, quod prævalet, siquidem pecunia ab altera parte data major est re, quæ additur, emptionem contractam esse putatur, si è contra res est major, permutatio subsimitur: Ubi omnia sunt æqualia, permutatum magis, quam emptum venditum habetur, vid. Mev. in *Jurisd. Sum. Trib. P. 3. Decis. 25.* consentit Carpov. P. 2. C. 32. *Disf. 15* it. Strauch. in *Dusert. Univ. Jur. 16. v. 4. in fin.* Disfentiunt vero

verò post Wiffenb. Bachov. Swendendorff. ad Eckold.  
*b. t. cb. 5.* Brunn. *ad l. 1. ff. b. t. n. 2.* quando in dubio  
emptionem potius quam permutationem contractam  
præsumentam esse censent, & aliter adhuc Anton.  
Faber *Lib. 4. C. tit. 40. Defin. 1.* Ubi, cum æqua sunt  
omnia, pro parte venditionem, pro altera parte permu-  
tationem, contra naturam contractuum, contractam  
esse sentit, ut ostendit Mev. *d. l. n. 6.*

THES. XIII.

Sed cum duo adhuc Dubia in permutationis Ob-  
jecto supersint, quorum primum est de rebus alie-  
nis, alterum de rebus Spiritualibus seu Ecclesiasticis:  
breviter de his tenendum. ; Et quidem quod  
*rem alienam* concernit, quod illa in permutationem  
non veniat, seu permutationis objectum non con-  
stituat; verissimum enim est, rem alienam dantem  
nullam contrahere permutationem juxta *Leg. 1. §. 3.*  
*ff. b. t.* in hoc videlicet ut alterum obliget; ideoque  
si alter rem tradere nolit, prout non tenetur, quia non  
dare, vel dare ita, ut postea evincatur, paria sunt arg.  
*l. 1. C. b. t.* dans non poterit præscriptis verbis agere ad  
implendum, nec ad id quod interest, sed in tali casu rem  
traditam modo condicere *l. 1. §. fin. ff. b. t. l. 1. C. eod.* vid.  
*Pac. cent. 5. évav. qv. est. 22.* Et quamvis Accurs. *in d. §. fin.*  
particulam *tantum* subaudiendam esse existimet, valde  
tamen dubitandum, an textui hoc conveniat, imò ne-  
gandum, cum expressè loquitur de casu, quo quis  
rem alienam dedit, & alter rem conventam tradere non  
vult, ubi cum perinde sit ac si nihil datum fuisset; non  
enim cum effectu datum est, nulla ab ejus parte erit per-  
mutatio juxta ea quæ supra jam dicta sunt, & nulla con-  
sequenter præscriptis verbis actio. Nec obst. *l. 1. C. eod.*

B

utpote

utpote ad quam satis respondet Ungepaur *cit. l. n. 8.*  
Quod si vero alter à sua quoque parte contractum imple-  
verit, & res aliena evicta fuerit, omnino in factum de  
præscriptis verbis ad interesse hic agere potest *d. l. 1.*  
*§. 1. b. t.* vel si malit, rem suam condicere, quasi causa  
non secuta, propter quam data est, liberum hoc ipsi  
erit *l. 1. C. h. t. conf. Wesenbec. b. t. n. 9. & ibid. Lud-*  
*weli. & Hahn. in not. & observ. Frantzk ad ff. b. t. n. 6.*  
*& Lauterbach, in Compend. ff. & Comment. b. t. n. 14.*

THESES. XIV.

Quod verò res Spirituales seu Ecclesiasticas atti-  
net, tenendum est, quod res Ecclesiæ, quæ servando  
servari possunt, permutare non liceat, prout nec ali-  
enare, cujus species est permutatio. Item quod spi-  
rituale cum temporali regulariter permutari nequeat,  
*C. ult. X. b. t.* regulariter inquam, nam si (1) major sub-  
sit utilitas Ecclesiæ, & consensus Episcopi & Capituli,  
causæque cognitio intervenerit, licita est permutatio  
*arg. C. 1. eod. Struv. Decis. Sabbat. C. 15. Decis. 9.* (2) Si  
Princeps voluerit rem suam immobilem majorem, vel  
æqualem, ut vel idè evidenter hoc utile sit Ecclesiæ,  
cum re immobili Ecclesiæ permutare, pragmatica super  
hoc præcedente sanctione, *C. 1. X. eod.* accedente con-  
sensu Episcopi & Capituli in eadem permutatio permissa  
sit. Vid. Vivian, *in rat. Jur. Pontif. ad C. 1. eod.* Unge-  
paur, *in Comment. ad decret. b. t. n. 11.* Sic quoque præ-  
bendarum permutationes ritè & autoritate superioris  
quidem, non autem propria autoritate fieri possunt,  
aliàs irritæ sunt & simoniacæ *C. 5. X. b. t. Struv. d. l.*  
*Decis. 3.* Quo spectant & permutationes officiorum  
inter Custodes & Ecclesiæ Ministros, consensu & appro-  
batione Episcopi, vel Consistorii factæ. Carpz. *Jurapr.*  
*Consist.*

91  
Consist. Lib. 1. Def. 93. & 94. it. Lib. 3. Def. 103 n. 8. & seq.  
Siquidem regulariter permutatio officiorum per se non  
illicita, modo fiat cum aliis officiis Ecclesiasticis, & sic  
res spiritualis cum alia re spirituali, C. 6. X. b. t. & ibid.  
Vivian. in rat. Jur. Pontif. & Carpz. d. l. plura de hac  
materia videri possunt apud Struv. in Decis. Sabbatb. C. 15.  
Decis. à 1. usque ad 10. Petr. Müll. ad Struv. Synt. exerc. 25.  
tb. 19. Ungepaup. & Lynck. ad tit. Decret. tit. de rer. permut.

THES. XV.

Ad Formam spectat (1) quod hic Contractus non  
nuda voluntate, vel nudo consensu fiat, nomenque  
proprium non habeat, adeoque nominatus non sit,  
l. 1. §. 2. ff. b. t. t. 1. l. 7. §. 1. 2. ff. de pact. Mejer in C. 7. A.  
b. t. tb. 3. in pr. Gædd. de contrab. stipulat. Cap. 1. n. 49. (2)  
Quod ejus obligatio à rei datione demum incipiat, seu  
substantiam capiat, L. 1. §. 2 ff. b. t. & L. 3. C. eod. Denique  
quod hic detur res, cujuscunque sit generis, ea lege &  
conventionione, ut accipiens pro illa vicissim rem det  
aliam, ejusdem sive diversi generis, l. 5. §. 1. ff. de pre-  
script. verb. l. 5. & 7. C. eod. l. 1. pr. & §. 1. ff. de Contr. empt.  
Lauterb. in Comp. & Comm. ff. b. t. tb. 17. ut hinc satis  
constet, quantum non modo ab emptionis venditionis  
contractu nominato, sed & innominato, Do ut des per-  
mutatio differat, de quo pluribus infra ad affinia.

THES. XVI.

Finis hujus nostri Contractus est, ut magis subveniatur  
humanis necessitatibus, & is, qui animo permutandi  
rem suam dedit, sibi magis deservientem recipiat, seu, ut  
Wesf. b. t. n. 11. ait, cum Tu habeas, quod ego desiderem,  
vicissim ego habeam, quod tu accipere velis, fiat utrinque  
commutatio, ac cuique utile & opportunum est, quæ-  
ratur l. 1. pr. ff. de pact. l. 1. pr. ff. de contr. empt. §. 2. Insist.  
de empt.

*de empt. vendit. l. cum precibus 4. C. h. t. Wcfenb. in parat. cit. loc.*

THESES. XVII.

Effectus primus est obligatio, quæ tamen non ex pacto, seu placito permutationis (nisi stipulatio accesserit) *L. 3. C. h. t. & ibid. Dd. sed ex rei traditione demum, ut in aliis Contractibus realibus, oritur; Et insuper non personam ejus, qui dedit, vel ex sua parte contractum implevit; hic enim rem permutandi causâ non eo animo dedit, ut se alteri, sed ut alterum sibi obliget; ast eum, qui rem accepit, & ex sua parte contractum non implevit, modò afficit, & ad implendum, vel ad rem acceptam, si danti ita placuerit, restituendam adstringit, *l. 1. §. 2. & 4. ff. h. t. l. 1. C. cod. l. 5. §. ff. de præscript. verb. Sed quid si res (scilicet certa species seu individuum, genus enim non perit) danda, perit? distingvendum, an debitoris dolo, culpa lata, vel levi, an citra eam perierit: in priori casu debitoris periculum est, dolus enim culpa & mora cuique sua, non alteri nocere debet, *l. 5. §. 1. ff. de præscript. verb. c. 25. R. J. in 6. in posteriori verò dantis, seu Creditoris est periculum, quod Donellus ad tit. de præscript. verb. c. 7. intelligit hætenus, ut actionem de præscriptis verbis ad implendum, seu ad interesse agere non possit, rem interim datam ob causam non secutam condicere posse putat, quod tamen ab aliis rectius negatur, per ea, quæ tradit Hahn. ad Wesf. tit. de condict. causa data & n. 2. vers. Hoc casu interest &c. & Lauterb. in Comm. ad ff. h. t. th. 28. & 29. Cæterum ad effectum quoque spectat, quod rei datæ dominium, illicò transeat in accipientem, licet hic ex sua parte contractum non implevit, vel cum precibus 4. C. h. t. & ibid. Brunnem. vers. ex hac lege &c.***

THESES. XVIII.



Thes. XVIII.

Effectus ex primo ortus est (1) actio ex stipulatu  
 (si stipulatio intervenerit seu permutationi subjecta  
 fuerit) quæ datur ad tradendam rem, de qua convenit,  
 & firmiter accipientem ligat, quam rei traditio, l. 3. ex  
 placito C. b. t. & ibid. Sichard. n. 2. (2) Actio præscrip-  
 torum verborum s. ex præscriptis verbis, cujus no-  
 minis ratio videre est apud cit. Sichard. ad rubr. C. b. t.  
 n. 5. Est autem hæc actio præscriptis verbis ex permu-  
 tato, personalis, civilis, bonæ fidei, competens ei,  
 qui ex sua parte contractum implevit & rem tradidit  
 contra accipientem, ut & hic ex sua parte Contractum  
 impleat, vel interesse præstet L. 7. ff. b. t. Strauch. cit. diff.  
 16. th. 7. Obtinet autem hoc quod de interesse dicitur,  
 si scilicet accipiens dare non possit, vel forte mora com-  
 missa sit, vel dans potius interesse exigere velit, adeo,  
 ut, si accipiens postea dare velit rem promissam, non au-  
 diendus sit l. 1. & 7. C. b. t. Sichard. d. l. n. 2. circa fin.  
 & Müller. ad Struv. Synt. b. t. th. fin. lit. B. Sed an is,  
 qui ex sua parte implevit contractum, alterum possit  
 compellere, ut præcisè rem tradat, si possit? in quæ-  
 sitione est. Negat Glossa ad l. 4. C. b. t. quam Cynus  
 & Salic. nec non Carpzov. 2. Consl. 33. Def. 23. num. 5.  
 sequuntur, idque dubio procul quia in actione P. V.  
 is qui ad dandum obligatus est, non præcisè cogat-  
 ur ad dandum ut potius præstando interesse libe-  
 retur Lauterbäch. ad ff. b. t. thes. 26. Confer. Brunnem.  
 ad L. 4. C. b. t. (3) Actio est conditio data, causa  
 non secuta, quæ danti competit ad repetendum id,  
 quod permutandi causa datum est, ab eo, qui accepit  
 & ex sua parte fidem non servavit; Oritur autem hæc  
 actio non quidem ex contractu hoc innominato per-

mutationis causaliter (competit enim & si nulla sit contracti permutatio) sed occasionaliter, ut loquitur, Swendendorff. ad Eck b. t. §. fin. & insuper ex quasi contractu est vid. Lauterb. cit. l. 9. 19. Hahn ad Wes. tit. de prescr. verb. n. 2. p. m. 677. competit autem Danti, utpote in cuius electione est, agere ad implendum contractum vel ad id quod interest l. 4. C. b. t. an vero conditione rem suam repetere velit. Strauch. d. l. 1. b. 7. Mey. Part. 3. Detif. 27. n. 5. Sed non nisi ex duabus causis oritur hæc conditio; una est penitentia Dantis l. 5. §. 1. ff. de prescript. verb. Henric. Hahn. ad Wesenbec. tit. de prescript. verb. pag. m. 680. in princ. Altera, Mora seu cessatio accipientis est. Hahn. d. l. tit. de conditione causa data &c. n. 2. p. m. 507.

TINES. XIX.

Inter affinia permutationis, Emptio Vendito, nec non Contractus Do, ut des, non immerito referuntur: & licet negari non possit, quod magna sit a finitis inter emptionem venditionem & permutationem l. 1. ff. de contr. empt. vend. aded, ut & permutatio vicem emptionis habere dicatur in l. 2. ff. & C. b. t. multaq; inter se communia habeant, e. g. ufucapiendi conditionem l. 4. §. 13. ff. de usucap. Evictionem l. 1. C. b. t. redditionem l. 19. §. 5. ff. de adil. Edict. & quod utraq; actio bona fidei sit §. 28. Inst. de action. vid. P. Muller. ad Struv. exerc. 28. b. 18. lit. a. Differunt tamen in quampulrimis; Non enim (1) ita nudo consensu constituitur obligatio in permutatione, sicut in emptione, sed & traditione demum rei initiu capit & perficitur l. 1. ff. b. t. (2) in emptione venditione alius est emptor, alius est venditor, aliud pretium, aliud merx, at in permutatione discerni non potest uter emptor,

ptor, uter venditor sit, quodnam pretium, quodnam  
merx sit? (3) Res aliena vendi potest l. 28. ff. de contr.  
empt. non permutari Vid. *supr. d. XIII.* (4) Ex permuta-  
tione duplex ex diversis licet causis datur actio, puta  
ex praescriptis verbis & conditio causa data causa  
non secuta, non autem ex venditione. Conf. Frantzk.  
*ad ff. h. t. n. 2. Lauterb. in Comment. b. t. thes. 15. Wesf.  
in parat. b. t. n. 3. & seqq.*

THES. XX.

Contractum innominatum Do, ut des verò quod atti-  
net, inter affinia permutationis & hæc rectius refer-  
tur, quam ut pro uno eodem articulo habeatur cum  
permutatione, seu quod Synonima essent hi duo con-  
tractus, prout pleriq; Recentiores volunt & inter hos  
Bachov. ad Treutl. l. Dec. 30. *Thef. 6. lit. A.* Hahn. ad  
Wesfenb. b. t. num. 10. Frantzk. ff. tit. de prescr. verb. num.  
23. 24. & seq. Zoëf. ff. h. t. num. 4. Peretz. in Cod. b. t.  
n. 5. Strauch. *Düsert. 16. th. 4.* & ibid Thomas. in not.  
it. Eck. in *Compend. ff. b. t. Wissenb. 1. D. 31. d. 4.* & multi  
alii. A quibus autem rectè recedunt non modò anti-  
quiores plurimi, sed & multi ex recentioribus non in-  
fimi subfellii Jcti Ludwell. ad Weitembec. in not.  
Scotian. in *exam. tit. de prescript. verb. quest. 2.* Lauterb. in  
*Comm. ff. h. t. th. 18.* Fromman. *Disp. de contr. nomin. & in-  
nom. th. 6.* Schwendend. in not. ad Eck. ad §. 3. quamvis &  
hi ipsi in rationibus & differentiis assignandis non per  
omnia conveniunt, ut rectè animadvertit Lauterbach.  
d. l. Quicquid autem sit, verior est horum sententia,  
quod probatur ex seqq. (1) quod specialis & peculiaris  
de permutatione in ff. reperitur titulus, in quo ne  
mencio quidem facta contractus Do ut des (2) quod  
permutatio sit contractus innominatus irregularis, Do  
ut des

ut des verò contractus innominatus regularis (3) quod  
 actio ex permutatione bonæ fidei sit §. 28. *Inf. de Act.*  
 quæ verò ex contractu do ut des descendit, stricti  
 juris. Accedit (4) (quod maximi momenti est & ipsos  
 dissentientes confundit) quod articulus do ut des ean-  
 dem ipsam rem, quæ alii data est, danti ab accipiente  
 reddendam, vel solam, vel cum aliâ dandâ admit-  
 tat, permutatio verò semper aliam rem desideret pro  
 datâ ab accipiente, sive ejusdem sive diversi sit gene-  
 ris reddendam l. 5. §. 1. *ff. de prescript. verb. l. 5. & 70*  
*C. eod.* Vid. Lauterb. in *Comment. ff. b. t. l. 18.* Denique  
 quod articulus Do ut des, aliquando admittat alterna-  
 tivam vel ipsius rei datæ restitutionem vel æstimatio-  
 nis solutionem l. 8. & 18. & fin. *ff. de prescr. verb. l. 9. C. de*  
*donat.* Permutatio non item, vid. Lauterb. *d. l.* Et Disp.  
 Scheifarti sub Præf. Dn. Dr. Grassi *de Art. Do ut des th. 3.*

THESES. XXI.

Ad *Contraria* spectant (1) dissensus utriusq; con-  
 trahentium, (2) Pactum de non transferendo domi-  
 nio, utpote quod cum natura hujus contractus pugnet,  
 (3) Pœnitentia, Et deniq; (4) modi, quibus ratione  
 causarum, efficientis, materiæ, formæ Permutatio  
 nulla est. Venat. in *Anal. Jur. Canon. b. t.*

quæst. fin.



Greifswald, Diss., 1702/05

ULB Halle  
004 564 162


3



TA → Öl

nur 1 + 17 Stück verknüpft und  
f





z8f

DISPUTATIO ORDINARIA  
DE  
RERUM PERMU-  
TATIONE,

1702/5

5

Quam  
Divina Favente Gratia

PRÆSIDE

**PETRO MASCOVIO,**  
Jcto & Antecessore Ordinario, Juri-  
dicæ Facultatis Seniore & p. t. Decano, Regiique  
Consistorii Directore,

d. 29. Decembris 1702.

in Auditorio Majori

publicæ ventilationi

submittit.

**JOHANN. WILHELM Ketschel /**  
Sedin. Pom.



GRYPHISWALDIÆ,

Typis DANIELIS BENJAMINIS STARCKII,  
Reg. Acadcm, Typogr.

